

# COMMUNICATIONES

RAYMUNDUS TELLERÍA

SACERDOS D. DOMINICUS BUONACCIA

S. Alfonsi pueruli primus in litteris humanis magister.

Coaevus S. Alfonsi biographus, dum huius pueruli primum literarium curriculum retexit, nomen quoque magistri eiusque dignitatem sacerdotalem ac virtutes eximias proponit hisce verbis: « Ebbe per maestro nella grammatica D. Domenico Buonaccio, dotto calabrese, ma uomo sommamente morigerato e timorato di Dio. Questi, se istruivalo nelle lettere, non mancava fargli conoscere cosa importa il vivere da buon cristiano e quanto faccia vergogna il vizio ad un onesto cavaliere. Il vero si è che non costava troppo al maestro la sua educazione. Il bel naturale ch'egli aveva, le sue inclinazioni per la virtù, abbreviavano di molto le sollecitudini di questo virtuoso sacerdote, così nelle lettere che nello spirito » (1).

Tanti elogii enuntiatio secum fert desiderium noscendi intimius personalitatem magistri: patriam nempe, aetatem, gradus academicos; eo vel magis quod illum documenta indubia proclamant « in hac Neapolis civitate Grammaticae, Humanitatis et Artis metricae publice professorem » (2), consulentem initiationi et progressioni litterariae D. Caietani, fratris S. Alfonsi. Iam vero, quoniam inter utrumque fratrem aderat differentia decem annorum quoad aetatem, liquido eruitur diuturnum fuisse legamen docti sacerdotis cum familia Liguoro. Quin etiam: si pressius dicta tannoiana sumantur, fortasse diceres D. Dominicum fuisse in palatio Liguoro institutorem sive puerorum custodem (*aiò*), pro educatione gerentem vices D. Iosephi de Liguoro, quem triremium servitium fere continuum cogebat abesse a domesticis laribus. Hypothesis proinde suadet eniti, ut praefati magistri personam — quantum fieri potest — ex archivis in lucem eruamus.

## I. - *Libri paroeciales oppidi Mottae S. Luciae*

Quandoquidem ex P. is Tannoiae adseveratione paedagogus S. Alfonsi pueri censebatur e Calabria ortus, indagare opus erat locum ac tempus nati-

(1) A. TANNOIA, *Della Vita ed Istituto del Ven. Alfonso M<sup>a</sup> Liguori* I, Napoli 1798, 7.

(2) Arch. di Curia, Napoli. Patrimoni Sacri, n. 1420. D. Gaetano Liguori, fasc. I. Cfr etiam: S. Alfonso de Liguori. *Contributi bio-bibliografici*, Brescia 1940, 113. Auctor articuli, P. Dominicus Capone, reddit utrique fratri communem attestationem, quae directe et immediate facta erat dumtaxat in beneficium D. Caietani. Manet dubium, utrum P. Tannoia ex eadem attestatione traxerit magisterii extensionem in favorem S. Alfonsi an eandem sustinuerit ex documentis vel traditionibus non citatis.

vitatis suae. In auxilium nobis advenit historicus localis, vir (ni fallimur) ecclesiasticus, qui initio huius saeculi calabram regionem illustrans scripsit: « Il prete calabrese Domenico Bonaccia, da S. Lucia di Conflenti, fu il primo maestro del gran Vescovo e Dottore di S. Chiesa [S. Alfonso] » (3). Per epistolam paucis adhinc annis interrogavimus parochum S. Luciae « di Conflenti », at in cassum: probabiliter quia minus recte memoratus historicus designavit locum S. Luciae « di Conflenti » pro « Motta di S. Lucia », prouti ab immemorabili nuncupatur in publicis documentis ecclesiasticis ac civilibus, quamquam oppidum parum distat a Conflenti superiore atque inferiore.

Nuper itaque, ex civitate Nicastro profecti, accessimus ad Mottam S. Luciae ultra silvas quae dicuntur « Piccola Sila » ibique lenta manu pervolvimus libros paroeciales, in spem allecti comprobandi natalia Domini Bonaccia. Certe quidem invenitur ac fere abundat eiusmodi cognomen, utique expressum forma parum diversa (Bonaccio, Bonaccia, Bonaccius), sicuti mos erat antiquis. Ecce quaedam familiae ex albo natorum decerptae:

A. - Index natorum ab anno 1642 usque anno [sic] 1801.

- a) Domenico Bonaccio di Gio. Paolo ed Isabella Falvo, nato a 9 gen<sup>o</sup> 1653.
- b) Diego Bonaccio di Manuzio e Maria Rizzo, nato a 18 giugno 1658.
- c) Domenico Bonaccio di Felice e Girolima Angotti, nato a 15 gen<sup>o</sup> 1688.
- d) Domenico Antonio Bonaccia di Giacinto e Giulia Volpe, nato a 13 ott. 1694.
- e) Domenico Antonio Bonaccio di Francesco e Camilla Cella, nato a 15 marzo 1700.

B. - Liber Baptizatorum, 1643-1711. Sine fol.

a) Ab anno 1663 ac deinceps comparet saepe baptizans D. Ioannes Dominicus Bonaccius, sive tanquam « coadiutor curatus parochialis ecclesiae S. Mariae Gratiarum Terrae Mottae S. Luciae » (an. 1663), sive quasi « cappellanus curatus » (1664) vel « oeconomus parochialis » (1668) sub ductu « rectoris » eiusdem ecclesiae.

b) Anno 1678 exscribitur hic Actus, fortasse cum magistro S. Alfonsi nectendus: Anno Domini 1678, die vero 8 mensis augusti. Ego D. Ioseph Scalzo, curatus parochialis ecclesiae S. Mariae Gratiarum Mottae S. Luciae baptizavi infantem... natam a Blasio Giglietti et Ippolita Perri coniugibus, cui impositum fuit nomen Angela. Et eius patrinus fuit Cl.cus Dominicus Bonaccia... ».

Clerico isti D. Domenico Bonaccia, probabiliter saltem, adiudicare licet subsequentem professoris titulum, quem Neapoli gessit et quo usus fertur in

---

(3) D. TACCONE-GALLUCCI, *Monografie di Storia Calabra Ecclesiastica*, Reggio Calabria 1900, 287, nota 3.

beneficium filiorum D. Iosephi de Liguoro. Proinde si, ex supposito, patrum egit an. 1678 clericus plus minusve ventennis, consequenter lectiones grammaticae atque humaniorum litterarum habuisset primo sequentis saeculi decennio, aetatem adeptus 40-50 circiter annorum.

2. - *Protocolla Notarilia archivi Nicastrensis.*

Quoniam Libri paroeciales nodum quaestionis a nobis propositae solvere nequibant, adire curavimus Archivum Status in oppido Nicastri postquam ex visu comprobavimus in civitate Cusentina (Cosenza) abesse ab huius archivi protocolla Mottae S. Luciae. Dolendum tamen est quod pro his protocollis subsit lacuna etiam in archivo Nicastrensi, ubi non nisi post annum 1734 comperiuntur notarii Mottae S. Luciae, quorum instrumenta quandoque referunt cognomen « Bonaccio » vel « Bonaccia ». Ecce quaedam indicia :

A. - Pacco 78. Not. Iannacaro Giuseppe.

a) Anno 1734, f. 4 ss. Die 9 aprilis. Inter documenti testes adfertur « Dr. Fisco Giacomo Bonaccia ».

B. - Pacco 211. Not. Notarianna Agostino.

a) Anno 1737, f. 10. Die 5 iulii. Coram notario intervenit « il Dr. Sig. D. Gio. Batt<sup>a</sup> Bonaccia, procuratore della Sig.ra D. Maria Drago, vid<sup>a</sup> del qm. D. Alfonso Ajelli della città di Nicastro ».

b) Anno 1737, f. 14. Eodem die. Cum testibus subscribit instrumentum « il Ch<sup>o</sup> Lorenzo Bonaccia ».

C. - Pacco 213. Not. Falco Francesco Antonio.

a) Anno 1739, f. 7. Die 25 jan. Partem in contractu agit « il R. Dr. Sig. Gio. Batt<sup>a</sup> Bonaccia, odierno procuratore della Ven.le Società di detta Terra [Motta di S. Lucia] ».

b) Anno 1739, f. 10. Die 8 martii. Fit cuiusdam vineae emptio « pro R.do D.re D. Joanne Bapt<sup>a</sup> Bonaccia ». - Item super eadem vinea, fol. 16, die 7 aprilis.

c) Anno 1744, f. 35. Die 20 iunii. Se coram notario sistit « Giovanni Bonaccio, abitante nel villaggio della Terra della Nocella ».

3. - *Decretum adnexum Magnae Curiae Vicariae Neapolitanae.*

Denique ut, saltem indirecte, pateat quomodo etiam Neapoli noscebatur cognomen Bonaccia, subdimus decretum quoddam Magnae Curiae Vicariae, cuius beneficiarius est idem (ni fallimur) ac sacerdos supra a nobis repertus in oppido Mottae S. Luciae (4) :

Die 2 mensis aprilis 1737. In causa pro R.D. Joanne Bapt<sup>a</sup> Bonaccia cum Hieronymo Volpe et Anna Bonaccia, visis actis procedatur ad ea

(4) Arch. di Stato, Napoli. Decreti di Vicaria, vol. 1393, f. 79v.

quae incumbunt pro compilatione termini, non impedita interim executione instrumenti in actis deducti in beneficium R.D. Joannis Bapt. ae Bonaccia, servata forma testamenti qm. Antonij Bonaccia de anno 1731.

### *Conclusio*

Ex hucusque expositis solido fundamento munitur opinio, quae genti Bonaccia seu Bonaccio adiudicat civica iura in oppido calabro Mottae S. Luciae. Attamen circa natalia D. Dominici Bonaccia, quem ibidem habuimus obvium tanquam clericum, ac circa eiusdem ulteriorem Neapoli activitatem exspectare debemus novas archivorum indagines: quibus prosequendis inseruiat, precamur, hodierna nostra communicatio.